

Occidente mouentur omnes , & nullum simpliciter ab occidente in orientem , sed secundum quid , quia nimisrum ad signa orientalia mouetur , vt mox declarabitur . Quod ut intelligatur , duo sunt Zodiaci in corporibus celestibus potissimum concipiendi , unus quidem in primo mobili , seu de cimo celo , qui solus est verus , ac proprius Zodiacus , quem Astronomi intelligunt , quando de Zodiaco absolute loquuntur , constans duodecim partibus aequalibus , que signa celestia vocantur , hoc ordine , Aries , Taurus , Gemini , Cancer , Leo , Virgo , Libra , Scorpius , Sagittarius , Capricornus , Aquarius , Pisces : que his characteribus ab Astronomis expressimi solent ,

Aries	Taurus	Gemini	Cancer	Leo	Virgo
V	\	II	\	\	mp
Libra	Scorpius	Sagittarius	Capricornus	Aquarius	Pisces.
\	\	\	\	\	X

Hi enim characteres significant eodem ordine predicta i z signa . Quare diligenter notandi erunt , memorique mandandi , quoniam frequenterissimus eorum usus existit apud Astronomos , sapientissimeque in sequentibus adducentur . Sunt autem qualibet duo , superioris videlicet , & inferius , in celo per diametrum opposita , quod etiam notandum est ; Nam sapientis mentio signorum oppositorum . Alter vero Zodiacus concipiendus est in nona sphera priori Zodiaco directe suppositus cum eisdem duodecim signis . Primus ille Zodiacus dicitur ab Astronomis immobilis & fixus , non quod non moueatur ad motum sui orbis , in quo est , sed quod eius signa eodem semper modo se habeant ad Aequinoctialem & Coluros primi mobilis , ita ut semper principium V. sit in Aequinoctiali circulo , similiterque principium \ ; ubi nimisrum Colurus aequinoctiorum Aequinoctiale interfecat . Rursus principium \ reperiatur semper in Coluro solstitiorum , similiterque principium \ ; Idemque de reliquis signis , & punctis primarij illius Zodiaci proportione quadam dicendum erit . Secundus autem Zodiacus dicitur mobilis , & non fixus , non ea solum ratione , quod ad motum sui orbis , in quo est , moueatur ; hoc etenim commune etiam est primo illi Zodiaco , & tamen immobilis appellatur : sed quod eius signa non semper eodem modo se habeant ad Aequinoctiale , & Coluros primi mobilis . Non enim prin-